



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. An etiam sit aliquid obseruandum in Ecclesia, quod non sit expressum  
in scriptura vel Euangelio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

non erit finis errorum ac dissensionum. Sint igitur tibi omnes hæretici suspecti. Nam ut Augustinus supra Ioan. ait, omnis hæreticus prædicat Christum qualem sibi fingit.

Tertio, quia certum est quod non omnia dogmata Pauli aliorumque Apostolorum & Euangelistarum literis commendata sunt, & quia Paulus iubet seruari traditiones non solum scriptas, sed etiam per sermonem ad illos factas, secundo Theff. secundo: & quoniam nec hodiè Spiritus sanctus, qui Ecclesiæ in perpetuum est datus, ociatur vel inefficax est, Ioan. 14. idè credit & tenet Ecclesia, etiam pleraque alia, quæ licet in Euangelistis vel in Moysè scripta non sint, tamen reuelata siue per sermonem prædecessorum, vel per suggestionem Spiritus sancti, planè nobis esse obseruanda sicut secundum conditionem temporum & mores hominum videbantur quædam expedire, quædam vero minimè, sed ut omnia ordine fierent 1. Corinth 14. siue hoc sit in abstinentia carni-um, in modo administrandi sacramenta, in certis ferijs agendis, & alijs Ecclesiæ institutis & cæte. quæ credimus ex suggestionem Spiritus sancti ordinata per patres Ecclesiæ, quantumcunque oblatrent his Hæretici, quod talia in scriptura non habeantur. Præterea articulus ille, nihil esse tenendum in Ecclesia nisi quod expressum fuerit in scriptura, fuit fundamentum fere omnium Hæreticorum, ut Ariannorum, qui dicebant nusquam in scripturis inueniri hominism, Iconoclastarum de imaginibus Vualdensium de Purgatorio, Vuiclesitarum de Missa & Monachatu, Hussitarum de superioritate Papæ, Anabaptistarum de baptizandis infantibus &c. Sed quia ab apostolis proximisque eorum successoribus multa tradita & instituta, licet ab ijs non scripta sunt, ut testatur Damascenus quarto Senten. cap. 4. idè hic non consentit Hæreticis, sed potius ab il-

abil.



ab illis exigit & vrget tota Biblia, quorum auctori-  
tati soli fidunt. nam multi libri notantur, qui in Bi-  
blijs non sunt, sicut Paulus iubet Colof. vltim. lege-  
re Epistolam suam ad Laodiceos. Sed illa nusquam  
reperitur, item 2. Machab. vlt. allegatur liber sermo-  
num dierum, & 2. Machab. 2. descriptiones Hiero-  
commenta Neemiae prophetae. ibidem 5. libri Iasonis  
Cyrenaei, item 2. Reg. 1. allegatur liber iustorum, & 3.  
Reg. 4. fit mentio de descriptionibus bestiarum, arbor-  
rum & herbarum, quas scripsit Salomon. item 2. Pa-  
ralipom. liber Achiz Silonitis, & liber Nathan pro-  
phetae &c. & Num. 21. allegatur liber bellorum Do-  
mini. Hi libri omnes desiderantur, & tamen allegan-  
tur. Vnde liquet non integra esse Biblia, & ideo inc-  
ptum esse quod aduersarij dicunt, se nihil velle tene-  
re aut credere nisi quod in Biblijs contineatur. Nos  
verò Catholici credimus Ecclesiae, id est, patrib. no-  
stris primoribus, dicente scriptura Deut. 31. Interro-  
ga patres tuos, & dicent tibi: seniores tuos, & annun-  
ciabunt tibi.

## CAPVT XX.

## ARGVMENTA.

1. *In quo debeat esse consensus maximè in Ec-  
lesia.*
2. *Quòd dissimiles ritus ac caeremonia non pu-  
gnant cum Euangelio.*
3. *Quomodo caeremonia & traditiones seruiunt  
ministerio verbi & administrationi Sacra-  
mentorum.*

1.



V Oniam Apostolus dicit 4. Eph. Vnus  
Dominus, vna fides, vnum Baptisma,  
ideò solliciti esse debemus conseruat  
vnitatē Spiritus in vinculo pacis: qua-  
re consensus & concordia potissimū ef-  
se debet